

Rex est omnium civitatum omniumque subditorum huius regni. Iure ergo excipitur contra praerogativam Primatus assertam cuidam Episcopo determinatae Ecclesiae, cuiusmodi est Episcopus Romanus. Verum licet sciscitari a Salmasio an censeat repugnantiam aliquam in hoc esse quod qui Episcopus est alicuius Sedis sit quoque Christi Vicarius pro universa Ecclesia primatumque iurisdictionis obtineat in ceteros Episcopos? Hanc repugnantiam nunquam Ecclesia sensit, nec Salmasius demonstravit, et si potest alicuius sedis Episcopus esse pro pluribus aliis Episcopis metropolita aut patriarcha, non liquet cur nequeat esse supremus Pastor Christique Vicarius. Cum ergo nulla per se ostendi possit repugnantia, quaestio an ita sit solvenda est argumentis historicis non a priori. Quamvis a priori eiusdem rei convenientia satis sit manifesta. Est enim Ecclesiae quam maxime necessarium ut certus eidem sit successor Petri, ideoque sit certa ratio successionis; haec vero nulla ratione magis certa fieri posse videtur quam si alicui sedi determinatae sit successio alligata.

THESIS VIII.

Distinguenda est lex successionis a conditione successionis in Primatu. Lex successionis est ipsa divina institutio Primatus eiusque perennitatis; conditio est titulus quo efficitur ut hic potius quam alius succedat. Huiusmodi porro conditio determinata est a facto originali Petri quo Romanam Sedem evertit ad dignitatem Primatus. Romanus ergo Episcopus, qui solus debitae conditioni facit satis, obtinet iure divino vi legis successionis Primatum in universam Ecclesiam. Quocirca cum quaeritur quo iure Romanus Episcopus succedat Petro, si intelligatur non comparative sed absolute quo iure potiatur eadem auctoritate ac Petrus; respondendum prorsus est ipsum iure divino succedere Petro.

I. Non omnes partes huius thesisi eo ordine probabuntur quo sunt dispositae; idque, ut manifestum fiet, gratia claritatis. Itaque ut exemplo distinctionem traditam declarem; in quavis societate politica ex naturae lege aliquis aut aliqui esse debent qui suprema potestate potiantur: forma vero regiminis ex voluntate societatis vel ex certis factis determinari potest. Ita in romana republica lex erat rempublicam annuis duobus consulibus regendam esse; consules nuncupati ex lege naturae determinata a voluntate sociali rempublicam capessabant, et moderabantur. Si ergo quaeratur quo iure Consules existebant, et singulis annis novi veteribus succedebant: respon-

dendum est, *iure naturae et iure sociali: iure naturae*, prout erant regimen aliquod societati necessarium; *iure sociali*, prout erant certa forma regiminis. Porro conditio successionis erat e. g. ut quis inferiora munera reipublicae obvisset, ut praesens peteret, ut populi suffragiis eligeretur. Ex his adiunctis simul concurrentibus, vel secus, efficiebatur ut hic prae alio consul esset. Quare si quaeratur cur *hic potius quam ille* consul fuerit, respondendum est quia hic potius quam ille faciebat satis conditionibus postulatis, non quia natura salusve reipublicae id flagitaret; quod quidem in priore quaestione respondendum foret. Quia vero in eodem subiecto una coibant et auctoritas et talis forma regiminis, quae non nisi in concreto esse possunt, et conditiones ad eam obtinendam: hinc iidem homines erant Consules remque publicam administrabant iure naturae, et sociali determinante ius naturae, atque iure personali expletae conditionis; *absolute* quidem consules iure naturae determinato a voluntate societatis, *comparative* autem, hi potius quam illi, iure expletae conditionis.

Iam vero, si haec ad Ecclesiam transferantur, lex successionis est ipsa lex perennitatis Primatus; eo enim titulo quo Primatus perennis esse debet, eodem et successores Petri existere debent. Titulus porro praefiniens perennitatem Primatus est voluntas Christi. Quare ius, quo stabilitur existentia successorum in Primatu usque ad finem seculi, non est humanum, sed divinum, ex voluntate Christi institutoris profectum. Porro advertite discrimen inter regimen politicae societatis et regimen Ecclesiae quoad hoc; nam licet regimen esse aliquod in politica societate sit ex institutione naturae, forma tamen regiminis non determinatur solo iure naturae; at in Ecclesia eadem voluntas divina quae regimen in ea esse voluit, et formam quoque regiminis determinavit: unde in Ecclesia totum hoc nempe regimen et forma ipsius est prorsus de iure divino.

II. At ab hoc iure divino instituente Primatum eiusque perennitatem, ideoque successionem perpetuam in eo, distinguenda est conditio successionis. Quae quidem distinctio accurate est facienda. Non enim volumus dicere vel quod ipsa conditio non potuerit iure divino constitui, quod nemo non videt falsum esse, vel quod reapse non fuerit iure divino constituta; de hac enim re inferius disputabimus: sed id dicimus 1) quod spectatis rerum essentiis alia est ratio conditionis successionis, propter quam hic potius quam ille succedit, alia est ratio legis successionis, per quam ipsa existentia perpetua successorum stabilitur: atque 2) quod necesse non fuit Christum voluntate *antecedente* determinare conditionem successionis, quemadmodum legem successionis statuit, ad hoc ut quis deinceps iure

divino succederet Petro in Primatu. Primum liquet ex declaratione superius tradita, ex qua etiam alterum ita probatur. Voluntas *antece-*
dens Christi determinans conditionem successionis esset voluntas quae ante quodvis factum vel actionem Petri aut Ecclesiae constitueret quinam ex tot succedere deberet, sive aliqua lege universali lata definiente modum successionis, sive singulis vicibus designando successorem: atqui huiusmodi antecedens determinatio non fuit necessaria. Etenim quamvis Christus permiserit Petro sive Ecclesiae determinare modum successionis (quem tamen ipse deinceps voluntate *consequente* ratum habuerit Th. X), haec tamen determinatio eo tantum spectasset ut *comparative hic potius quam ille* succederet Petro, Primatumque obtineret; non vero ut hic *absolute* succederet Primatumque haberet; id enim pendet prorsus a lege successionis, quam determinatio conditionis supponit; qua lege successionis non existente nemo succedere posset, seu Primatum post Petrum in Ecclesia habere. Quare etiam in hac hypothese succederet quis Petro sive Primatum post ipsum in Ecclesia haberet, quia Christus voluit Primatum esse perpetuum; succederet ergo iure divino. Nimirum ius est divinum ut sit semper Primatus in Ecclesia, sive ut sit semper aliqua persona quae iure divino debet esse et est Primas in Ecclesia; determinata autem per conditionem persona, haec sola, ceteris exclusis, eodem ipse iure Primatum obtinet in Ecclesia, obtinet enim quia Christus vult esse Primatum. Quemadmodum lex est naturae oportere in societate esse auctoritatem quae regat, ideoque aliquem aut aliquos qui ea potiantur: quem penes vero illa sit, id determinationi permittitur vel hominum vel facti alicuius. Robertus autem Rex factus defuncto Patre quo iure est Rex? prout absolute auctoritatem habet, iure naturae, eoque iure leges ferre potest quibus poena capitis in reos animadvertat, etc. Scilicet ius, quo aliquid obtinetur, eiusdem est generis ac illud quod aliquid obtinendum esse decernit.

Adverte tandem, quoniam conditio ut quis Petro succedat, est, ut videbimus, Episcopatus Romanus, aliud esse quaerere quanam sit conditio ut aliquis Petri successor existat, aliud quaerere quanam sit conditio ut hic vel ille sit Episcopus Romanus. Priori quaestioni respondemus, eam esse Episcopatum Romanum, ideoque solos Episcopos Romanos esse successores Petri in Primatu: alteri respondendum est, esse eas leges quibus regitur electio Romani Pontificis. Sed de hac conditione, quae remota est, non disputamus.

III. Probamus ergo primum *Romanos Episcopos solos esse successores b. Petri in Primatu*: tum probabimus eosdem *iure divino* in Primatu succedere: succedere autem b. Petro in Primatu nihil aliud est quam Petri Primatum post Petrum in Ecclesia obtinere.

Quoad primum argumenta haec sunt. α) Argumentum ab exclusione petitum. Auctore Christo divinoque iure quousque Ecclesia durat, haberi iugiter debet successor Petri in Primatu; hic autem unicus quovis tempore esse debet: atqui usque ad Concilium Florentinum nemo alius in Ecclesia habitus est Petri successor quam Episcopus Romanus; ergo hic est et ipse solus successor in Primatu Petri. Consequentia evidens est; fieri enim nequit ut nullus exstiterit successor in Primatu, nisi et Ecclesia quoque super Petram fundata desierit, falsaque evaserit promissio Christi: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus etc. fierique pariter nequit ut hac in re Ecclesia erraverit. Porro Maior argumenti certa est ex praecedenti Thesi: minor evidentissima est historice. Sane, ut rem satis notam breviter perstringamus, nulla de hac re dubitatio usque ad Concilium oecumenicum VII, an. 787: in Conc. oecum. VIII hoc aperte declaratum fuit, cum statutum sit in professione fidei subscripta ab omnibus in Actione 1^a. In Concilio Lugdunensi II id professione fidei a Michaele Palaeologo oblata Gregorio X in eadem Synodo proclamatum fuit; idque ab utraque Ecclesia latina et graeca definitum in Conc. Florentino. Ergo.

β) Argumentum ex ratione successionis. Debuit Petro succedi: verum ille habendus est Petri successor, qui facit satis conditionibus successionis: atqui hic est unicus Romanus Pontifex: ergo. Maior est evidens: probatur minor. Determinatio illius qui succedere deberet una tantum ex his viis fieri poterat. 1) Vel iugi revelatione Dei immediata, qua declararetur singulis vicibus successor Petri: 2) vel consensu Ecclesiae sive collectae sive dispersae, quae toties quoties designaret successorem Petri: 3) vel facto aliquo primitivo, quo ab initio statueretur quinam in posterum successor esse deberet. Huiusmodi vero factum primitivum vel fuit aliquid factum sive decretum ipsius Ecclesiae seorsim a Petro, vel factum Petri, et hoc vel cum consensu vel citra consensum Ecclesiae; vel factum sive decretum aliquod immediatum Dei. Atqui etiamsi semper exstiterint successores Petri, primus et alter modus nunquam fuit in usu: restat ergo tertius. Iam vero excogitari nequit decretum editum ab Ecclesia seorsim a Petro, vivente Petro; nullius enim fuisset valoris decretum editum a corpore sine consensu Capituli: neque fingi potest decretum aliquod latum ab Ecclesia post mortem Petri; nam huius facti adeo fundamentalis memoria exsistere debuisset, quae tamen prorsus deest; et praeterea si id factum olim fuisset, Ecclesia eodem iure modo polleret mutandi modum successionis, idque cum certitudine teneret: atqui, ut minimum modo dicamus, certitudine hac caret Ecclesia. Item factum aliquod Petri, cui tamen accesserit veluti neces-

sarius consensus Ecclesiae, perperam excogitatur; repugnat enim haec necessitas consensus supremae et independenti auctoritati Petri, cuius Primatus erat quidem in bonum Ecclesiae, sed nullo modo obnoxius potestati eius. Restat ergo factum aliquod originale proprium ipsius Petri: decretum enim Dei immediatum, si ullum fuit, aliud excogitari nequit quam illud cuius terminus esset ipsum factum Petri. Atqui factum originale Petri aliud esse nequit quam Episcopatus eius Romanus quem usque ad mortem gessit, quo Romanam Sedem Petrus auxit iuribus Primatus. Nam 1) quodcumque aliud factum excogites, relaberis in unam ex viis iam exclusis; 2) hoc factum erat apprime idoneum ad determinandum successionis modum in perpetuum; cum enim sedes per se perpetua sit, iuribus primatus alicui Sedi alligatis, perpetua successio absque nova determinatione habebatur. Imo 3) hoc est unicum factum ipsius, quo cogitare liceat ipsum determinasse successionis modum. Si enim cogitas simplex aliquod decretum Petri circa electionem successoris post se faciendam ab Ecclesia, redis ad id quod iam exclusum est. Si cogitas aliquod ipsius decretum quo designaverit adhuc vivens qui sibi succederet in primatu, primo de hoc decreto, nisi sit ipsum factum Episcopatus Romani libere suscepti, altum silentium in historia: deinde vel Petrus designavit tantum proximum successorem, vel seriem perpetuam successorum. Si primum dicas, redimus rursus ad alias vias iam exclusas: si alterum, id fieri non potuit nisi designata aliqua sede Episcopali, in qua series esset perpetua successorum. Haec vero quae fuerit alia quam ipsa sedes in qua ipse usque ad mortem sedit! Et sane Petro in primatu non nisi post mortem eius succedi poterat: si ergo sedes designanda erat, ea erat designanda, in qua Petro defuncto succedi posset: haec porro non fuit nisi sedes Romana. Ergo conditio successionis in Primatu pendet a facto originali Petri, factum istud est Episcopatus Romanus; quem susceptum Petrus nunquam dimisit: ergo conditio successionis est, ut in Romana Cathedra quis succedat Petro. Ergo conditioni successionis solus Romanus Episcopus facit satis.

Ex hac argumentatione intelligis nos non spectare tantummodo factum Petri, h. e. sessionem eius in cathedra Romana, sed etiam voluntatem seu decretum Petri (an ex divino iure an ex sola auctoritate Petri dicemus postea) alligantis iura Primatus cathedrae Romanae. Et sane ita spectandum esse huiusmodi factum censemus. Si enim poterat Petrus nullam unquam tenere episcopalem sedem, erat quoque in eius potestate ita aliquam sedem tenere ut iura Primatus non essent sedi adnexa h. e. non essent obtinenda a successoribus. Neque enim valet illud argumentum: Romanus Episcopus

succedit Petro in cathedra episcopali: ergo succedit in Primatu: sicut si aliquis Episcopus sit etiam Abbas, non ex eo quod aliquis ei defuncto succedit in Episcopatu succedit etiam in abbatia. Scilicet succeditur tantum in iis quae sunt propria Sedis. Supponit ergo argumentum illud iura Primatus fuisse propria Romanae Sedis Petro sedente Romae. Verum ex hoc solo materiali facto id profecto non colligitur, quia nullus est horum duorum nexus necessarius: potest enim Episcopus alicuius Ecclesiae habere quaedam iura propria non communicabilia successoribus. Factum igitur Petri ad quod provocatur est Sessio Petri in Cathedra Romana, coniuncta cum voluntate seu decreto communicandi iura Primatus cathedrae isti.

Romanum Pontificem esse successorem b. Petri in Primatu probat consensus totius Ecclesiae. Etenim cathedra Romana dicta et habita semper est *Cathedra Petri prout ipse Petrus est Caput totius Ecclesiae*, ipsique Romano Pontifici eae omnes praerogativae assertae sunt, quae praedicantur de Petro. S. Irenaeus (l. III. c. 3) ut omnes haeticos confundat, provocat ad doctrinam Ecclesiae fundatae et constitutae Romae a duobus Apostolis Petro et Paulo; asserens necesse esse ut omnis Ecclesia ad hanc Ecclesiam conveniat propter eius potiorem principalitatem: id autem tantundem est ac dicere quod Cathedra Romana sit Cathedra Primatus Petri a qua regitur universa Ecclesia. Cyprianus epist. ad Antonianum Cathedralis sacerdotalem Romae appellat *locum Petri*: ad Cornelium autem epist. LV loquens de asseclis Fortunati pseudoepiscopi ait « navigare audent, et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis literas ferre » Cathedra unde unitas sacerdotalis est exorta, quae nempe principium est unitatis Episcopatus, est Cathedra singularis quidem Petri, sed Petri Primatum gerentis totius Ecclesiae. Optatus L. II. testatur « in urbe Roma Petro *cathedram episcopalem* esse collatam, in qua unitas ab omnibus servaretur »; atque hanc cathedram unam docet esse « *primam de dotibus Ecclesiae* » et « *per ipsam ceteras dotes apud nos esse.* » Atqui cathedra episcopalis, in qua unitas ab omnibus servanda est, quae est principium et fons omnium praerogativarum Ecclesiae est cathedra Petri prout ipse est Petra Ecclesiae. Ambrosius affirmat (in Psalm. XL, 30) ibi Ecclesiam esse ubi est Petrus; ac (epist. XI ad Imperatores Gratianum etc.) Romanam Ecclesiam totius orbis Romani caput esse, et inde in omnes venerandae communionis iure dimanare: et hymno in SS. Apostolorum Principes post martyrium Petri descriptum canit: Hinc Roma celsum verticem - devotionis extulit - fundata tali sanguine - et Vate tanto nobilis. - Tanta per Urbis ambitum - stipata tendunt